



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 68. Sed postquam resurrexero pracedam vos in Galilæam. v. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

storem, qui animam suam dat pro ouibus suis, nam corpus paulo ante cum sanguine iam dederas in oblationem aeternam. Deus meus audiens te dicentem quod dispergentur oves, valde contremisco, ne etiam ego aliquando dispergar, vel si non ego, saltem timeo pro fratribus meis qui toto orbe terrarum in Asia, Africa, America & Europa diffusi, multa patiuntur saepe suis pastoribus & Episcopis vel percussis in ore gladij, vel captiuatis, vel relegatis, vel omnino exterminatis, quomodo in septentrione factum videmus & dolo eorum qui haereticas doctrinas inuidentes, saecularibus Magistratibus dulces illecebras bonorum Ecclesiasticorum in dotem dederunt. Auerte obsecro Domine dispersiones illas & sana contitiones Ecclesiarum tuo pretioso sanguine fundatarum.

§. 68. *Sed postquam resurrexero precedam vos in Galilaam.* v. 28.

Pius Dominus ubi desolationem exposuit, confestim consolationem adiecit, & quos mentione fugaverat, nomine collectionis futurorum animat, docendo quod pastor percussus fortius ad ouium custodiam resurget, & indefectibiliter post haec non caturus procedet. Et quidem in Galilaam, ut intelligamus ob peccatum graue Iudaeorum, & ingenitam tita passionis porro & gentibus aperiendum regnum caelorum.

O Deus benignissime miserere mei, o rex gloriae propitius esto mihi peccatori, per ingenitam bonitatem tuam ignosce mihi quod vnquam rectitudine sanctorum mandatorum tuorum auerti cor meum, sequens prauam voluntatem meam ad peccata tua pertrahentem, & abiciens deferens sanctam voluntatem tuam me ad virtutum studia inuitantem. Quomodo o Deus meus tam corde caecus esse potui ut me vel ad momentum auerterim a summo bono, unde mihi salus omnis & bona cuncta proueniunt, & ad terrores caduca labentia me conuerterim, ex quibus nonnulla damna & omnis miseria ad me redit!

§. 69. *Petrus autem ait illi: etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* v. 29.

Quid agis Petre? An veritati repugnas? nescis quomodo modo caena nolentem lauari correxit? non meministi, quoties alias impegisti? sed video tu praecipue exerceris inter Apostolos, quia te Dominus ad maximum munus delegit, in quo tibi opus erit ingenti rerum experientia & circumspecta, ut omnium fidelium sis vice Christi in terris pastor.

Gratias tibi ago Domine Iesu, quod cum nobis pastorem animarum tuas vices agentem dare voluisti, eum uti Moyses Iosue famulum suum praerexercitasti ad omnes casus humanos & in virtute mirabiliter solidasti.